

1756.  
Q. D. B. U.  
THESES JURIDICAS <sup>57.</sup>  
~~57.~~

DE  
HÆREDITATIS  
ADDITIONE

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo Consultissimo  
atque Excellentissimo*

DN. JOHANNEN HENRICO  
FELTZIO,

J. U. D. Pandect. & Jur. Can. Prof.  
Publ. Ord. Celeberrimo

p. t. FACULTATIS JURIDICÆ DECANO

*Ad Diem 10. Julii Anno M. DCC. XVI.*

SOLENNI disquisitioni sistet

CAROLUS JOSEPHUS  
CHANLAY,

Ambianus.

—•••••  
Diss. jur. civ. ENTORATI Literis JOANNIS WELPERI.

232,30  
206

*CHARISSIMO*  
**PATRUO SUO**

Ob inæstimabilia ex sinu Ejus dul-  
cissimo in se derivata beneficia

*Præsentem Dissertationem in*  
*signum*

Nunquam morituræ filialis pietatis  
humillimo affectu

Confecrat

*Nepos Ejus, ex Fratere obsequiosissimus*

**CAROLVS IOSEPHVS**  
**CHANLAY.**



De  
*Aditione Hæreditatis*

POSITIO I,



Hæreditas est Universitas re-  
rum à defuncto relicta, om-  
nia jura, commoda & incom-  
moda comprehendens l. 20. §.

l. ff. de Hæ. Pet. l. 37. ff. de A. vel O. H. l.  
196. ff. de R. 7.

POSITIO II.

In acquisitione ejus duo actus inter-  
veniunt, *Delatio*, qua jus conceditur, hæ-  
reditatem acquirendi; &, quæ comple-  
mentum addit huic negotio, *Acceptatio*.

POSITIO. III.

Ex libertate *naturali* est, ne cui in-  
vito deferatur & obtrudatur hæreditas; ex-  
cepit Jus *Civile* primo servos, qui à do-  
mino instituti necessariò erant hæredes

A 2,

§. 1

§. 1. *f. de her. qual. Et differ.* secundo liberos in potestate patria immediate constitutos, quos suorum & necessariorum hæredum nomine insignit §. 2. *f. d. t.* quibus tamen Prætor, ad æquitatem naturalem respiciens, beneficium abstinendi post indulfit. *d. l.*

POSITIO IV.

Reliquis, qui ideo dicuntur hæredes extranei & voluntarii, liberum mansit, vel *adire* hæreditatem, vel *repudiare*; quo nomine fuit ipsis facultas concessa, ut intra certum tempus in vires hæreditatis inquirerent, *tt. ff. de jur. delib.*

POSITIO V.

*Aditio hæreditatis in genere* est declaratio voluntatis de hæreditate sibi delata suscipienda; per quam cum sese quis legatariis, quibuscum nullum negotium gessit, obligasse censeatur ad legata solvenda, inde in numerum quasi contractuum ab Imp. refertur §. 5. *Inst. de oblig. qua quasi ex contr.*

POSITIO VI.

Declaratur autem voluntas hæc vel  
verbis

verbis, vel facto; illa *aditio hereditatis in specie* dicitur, ubi *nuda voluntate*, uti Imp. loquitur §. 6. *Inst. de her. qual. & diff.* id est, sine facto, verbis tamen, licet haud solennibus, significata quis hæres fit; hæc autem Imp. & Ictis *gestio pro hærede* audit d. §. 6. *in specie* ita dicta; aliquando enim hic terminus late capitur, ut & prior declarationis speciem comprehendat, vid. l. 88. ff. de A. vel O. H. l. 12. pr. ff. de interrog. in jur. §. fin. *J. de H. Q. & D.*

POSITIO VII.

In gestione pro hærede proprie ita dicta non quævis facta sufficiunt, sed requiruntur talia, ut ex iis animus agnoscendi inferri possit l. 20. l. 88. ff. de A. vel O. H. scilicet, qualia non nisi in hæredem cadunt, e. g. præstatio legatorum, manumissio, &c. ex his enim oritur præsumpta aditio, quæ naturam Gest. pro h. absolvit,

POSITIO VIII.

Quod si factum ita sit comparatum, ut animum haud declaret, sed plane dubium relinquat, stari solet juratæ facientis declarationi, quo animo illum actum

A 3,

ges

gesserit, *Mantica de conject. Ult. Volums.*  
II. XII. 24.

POSITIO IX.

Quod si actum quis exerceat, qui sine jure hæredis fieri non potest, sed protestetur simul, se hoc non facere animo se gerendi pro hærede, non censebitur intervenire pro hærede gestio.

POSITIO X.

Aditio hæreditatis fit libera voluntate l. 16. C. de jur. delib. l. 55 ff. de O. & A. Excipitur tamen hæres fiduciarius §. 7. f. de fideicomm. hæred. qui compelli potest, quod tamen hodie secus esse, censet Hopp. ad §. 7. h.

POSITIO XI.

Aditio hæreditatis sub conditione fieri nequit, l. 51. §. f. ff. de A. vel O. H. quia est actus legitimus, id est, cum solennitate quadam expediendus. l. 77. ff. de R. l. vid. Schilt. Exerc 31. §. 109 & Ex. 38. §. 147.

POSITIO XII.

In subjecto ad eunte hæreditatem requiritur, ut sit capax, id est, ut sit cum eo testamenti factio tempore aditionis, mor-  
tis

tis, & testamenti facti l. 49. §. 1. ff. de hered. instit. §. 4: ff. de hered. qual. & diff.

POSITIO XIII.

Licet ratione destitutus adire hereditatem nequeat, l. 40. de R. I. l. 63. ff. de A. vel O. H. ex æquitate tamen furiosi curator potest l. fin. §. 3. C. de Curat furios. Idem juris est in infantibus §. 9, 10. l. de inut. stipul l. 18. §. 1. 2. C. de jur. delib.

POSITIO XIV.

Minor, qui curatorem habet, non aliter quam cum curatoris auctoritate acquirere hereditatem potest arg. l. 3. C. de in integr. rest. Min. & arg. l. 26. C. de administr. facit quoque l. 1. C. si tut. vel Cur. interven. Nec obstat l. 17. §. 1. ff. de appell.

POSITIO XV.

Prodigi ob bonorum administrationem interdictam obligandi potestate carent l. 6. ff. de V. O. l. 10. ff. de Curat. fur. secus, si cum Curatoris auctoritate adeunt. l. 6, §. 1. ff. h.

POSITIO XVI.

An per procuratorem generalem adiri possit hereditas, quæritur. Ego contra Duarenum, Fachinæum, negativam defendam.

POSITIO XVII.

Hæredis hæres potest adire hereditatem si prior sciens sibi delatam esse hereditatem intra annum, nondum facta declaratione, decesserit, per l. 19. C. de jur. delib. Dixi sciens; id quod in infante exceptionem patitur per Nov. 158. pref. & 6. un. Nec. obst. l. 18. §. 3. C. de jur. delib.

POS-

POSITIO XVIII.

Hæreditas descendentibus delata, si hi moriantur ante quam adeant, potest ab eorum successoribus descendentibus adiri *l. un. C. de his qui ante apert. tab.*

POSITIO XIX

Sub conditione institutus, ea pendente, adire non potest hæreditatem.

POSITIO XX.

Liberi non possunt retinere legitimam, repudiata reliqua parentum hæreditate.

POSITIO XXI.

Hæreditas jure Civili statim à morte testatoris potest adiri; nec obst. *N. 115. c. 5. §. 1. vel Auth. sed. neque. C. de sepulch. viol.*

POSITIO XXII.

Licet ad hæredem per aditionem ipso jure sine alio facto vel traditione hæreditatis dominium transeat; aliud tamen *l. Civ. de possessione* dicendum per *l. 8. §. 3. de A. vel A. P.*

POSITIO XXIII.

Hæres creditoribus hæreditariis obligatur; sed quæritur, an ex quasi contractu? Nos contra *Frantzkiu Crapzov.* & alios negativam defendemus.

POSITIO XXIV.

Aliud dicendum de Legatariis, fideicommissariis, mortis causa donatariis; his enim omninó hæres ex quasi contractu obligatur per *l. 5. §. 3. l. 40. ff. de O. & A. §. 5. J. de oblig. qua quasi ex contract.*

FINIS,